



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Recherches sur l'ancienne bibliothèque de Corbie

Delisle, Léopold

Paris, 1860

III. Deux lettres de l'abbé de Corbie relatives à la communication de chroniques appartenant à son abbaye.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9133

III.

DEUX LETTRES DE L'ABBÉ DE CORBIE RELATIVES À LA COMMUNICATION
DE CHRONIQUES APPARTENANT À SON ABBAYE¹.

2 février et octobre 1259.

Reverendo patri ac domino O. Dei gratia Rothomagensi archiepiscopo, J. permissione divina abbas Corbeiensis, salutem cum reverentia debita et honore. Noverit vestra paternitas quod, quum dominus Quintinus, presbyter Sancti Stephani Noviomensis, subdelegatus a vobis, auctoritate vestra nos monuerit ut nos quosdam de libris nostris exhiberemus abbati et conventui Sancti Eligii Noviomensis, quos sibi viderent competere ad probandum intentionem suam in causa quam habent coram vobis auctoritate apostolica contra decanum et capitulum Noviomense; nos autem, mandato vestro humiliter obedientes, duos de libris nostris procuratori dictorum abbatis et conventus exhibuimus, unum qui de regibus Francorum loquitur, qui sic incipit in prologo, *Glorioso, etc.* in historia, *[A]ssiriorum*; finit vero, *Phylippus genuit Ludovicum, qui nunc agit in corona*; librum etiam qui sic incipit, *Prima etas, etc.* et finit in anno incarnationis Domini M° C° XL primo. Quos libros nostros esse asserimus et de ecclesia nostra, et a temporibus antiquis eis usi sumus. Super hoc vestra paternitas provideat quid agendum. Datum anno Domini M° CC° L° octavo, in die Purificationis beate Virginis.

Reverendo patri ac domino et in Christo karissimo Odoni, Dei gratia Rothomagensi archiepiscopo, J. ejusdem permissione ecclesie Corbeiensis abbas, salutem et paratam ad beneplacita voluntatem, cum reverentia et honore. Paternitati vestre significavimus quod nos ad mandatum vestrum abbati et conventui Sancti Eligii Noviomensis librum nostrum cronicarum, qui sic incipit, *Prima etas*, et finit in anno incarnationis Domini M° C° XL primo, tradidimus; quem librum nostrum esse asserimus et de ecclesia nostra et a temporibus antiquis eo usi sumus, et super hoc paternitas vestra videat quid agendum. Datum anno Domini M° CC° L° nono, mense octobri.

¹ Ms. lat. 1057 de Saint-Germain, f. 193 v°, et 252 v°.



03SR2688